

BR 511

(1882641)

II R  
3778

I. N. J.

# WILHELMUS LEISERUS,

J. U. DOCT. COD. PROF. PUBL.  
ET COLLEGII JURIDICI,  
QVOD HIC EST, p. t.  
DECANUS,

L. S.



WITTENBERGÆ,  
Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.  
ANNO M. DC. LXXXII.

BIBLIOTHECA  
POBICKAVIANA

UNIVERSITÄT  
HALLE  
BIBLIOTHEK



WILHELMUS  
LEISERUS  
M. DOCT. COD. PROP. PUBL.  
ET COLLEGIJ IURIDIC.  
QVOD HIC EST, P.  
DREANUS



ma  
in c  
stra  
inci  
linu  
ab  
dam  
jicia  
ut p  
suan  
nisi  
mâli  
men  
perp  
re p  
talen  
ut q  
vant  
LXX  
esse,





Ravis omninò sententia est CA-  
ROLI V. Imperatoris Invictissimi,  
qvæ in Ordinatione Ejs Criminali Cap.  
LXI. legitur : Man sol sich nicht allein  
vor Vollbringung der Ubelthat / sondern  
auch vor aller Gestalt nüs des übels / so bö-  
sen Leumuth / oder Anzeig der Missethat  
machen / hüten / h. e. Caveat unusquisque non tantum ne  
in crimen ipsū, sed & ne in criminis suspicionem, unde sini-  
stra opinio aut indicium criminis perpetrati oriri possit,  
incidat. Cui Imperatoriæ sententiæ planè convenit Pau-  
linum illud I. Thess. cap. ult. qvò ἀπὸ παντὸς εἶδὸς πονηρῶν  
*ab omni specie malâ* abstinere jubemur. Atqve hoc fun-  
damento nituntur mores hodierni, qvi, si cui crimen ob-  
jiciatur, ne æqvo is illud transmittat animo, exigunt; sed  
ut pro gravitate objecti criminis commoveatur, famamq;  
suam defendat, nec temere illam patiatur suggillari;  
nisi honestorum virorum consortio imposteriorum carere  
mâlit. Negari enim neqvit, eum, qvi ad objectum cri-  
men tacet, conscientiam tactum videri, & non levem de se  
perpetrati facinoris suspicionem præbere: qvòd eò vale-  
re potest, ut non tantum Inquisitio, qvam vocant, contra  
talem instituat, sed &, concurrentibus circumstantiis,  
ut qvæstioni applicetur ipse, & eqvuleo injiciatur, obser-  
vante JOHANNE PHILIPPI ad Decis. Elect. Saxon.  
LXXXV. Observ. i. n. 41. Equidem tantam convicii vim  
esse, ut is, cui dicitur, infamis propterea habeatur, nemo

sanus asseruerit : ut meritò proinde ejusmodi opificum  
consuetudini per Recessus Imperii , itemq; Constitutio-  
nes nostras Provinciales obviam itum , opificibusq; in-  
junctum fuerit, ne eum , cui convicium dictum est , statim  
exercitio artis interdican, sed juribus opificii sui interim,  
donec lis pendet, frui patiantur: attamen mores hodie-  
nos, quos diximus exigere, ut convicio laceffitus famam de-  
fendat, seq; purum à scelere illo asserat , improbare non  
possumus. Præterquam enim quod fundamentum, ceu  
vidimus, habent regulam moralem, quæ ab omni etiam  
specie mali immunes nos esse jubet, publicè præterea u-  
tiles sunt, dum peccata nocentium in lucem protrahunt  
nec latere permittunt , quod & oportere & expedire ele-  
ganter PAULLUS noster ait in L. Eum qui nocentem.  
XVIII. Dig. de Injuriis & famos. libell. Namque ad ju-  
dicem partes compellunt, qui si vera deprehenderit, quæ  
objecta sunt, reum delicti poenâ afficiet, altero, qui nocentem  
infamavit, absoluto : sin minus , procacitatem petulan-  
tis lingvæ coercebit. Cæterum ordinaria quidem obje-  
cta diluendi famamq; defendendi via ad judicium provo-  
catio est : sed longior illa, & non paucis hodie difficulta-  
tibus obsita. Quare brevior propulsandi injuriam in-  
nocentiamq; suam defendendi moribus adinventæ est ra-  
tio, RETORSIO nempe injuriæ in continenti, quæ illi,  
qui crimen nobis objicit, vicissim mendacii crimen im-  
pingimus eo fine, ut aut ipse ad judicium provocet, cri-  
menq; objectum probet, aut, si id non faciat, nos sa-  
tisfecisse honori nostro eumq; sufficienter defendisse vi-  
deamur. Ac idem profecto extrajudicialis hujus existi-  
mationem nostram defendendi, qui judicialis, per actio-  
nem nempe, modi effectus est. Æquè enim per retor-  
sio-

tionem ac per actionem judicialem amolitur crimen,  
nobis obiectum, nec videri possumus silentio nostro pe-  
ciem mali præbuisse: ac præterea utroque modo res ad ju-  
dicium deducitur, illâ saltem inter modos istos differen-  
tiâ, quod molestæ actoris partes, quas actione institutâ nos  
subire cogemur, retorsione adhibitâ in adversarium de-  
volvuntur. Sed hîc gravis nobis adversaria constituta  
est cum illis, qui formidine quasi religionis Retorsionis u-  
sum improbant, & ex R. P. câ Christianâ eliminandum  
censent. Quamquam autem, ipsis fatentibus, à nostrâ par-  
te communis stat Dd. opinio; sat multi tamen etiam sunt,  
qui contrariam illam sequuntur, quos longo agmine re-  
censet Excellentissimus DN. STRUVIUS de Vindict. pri-  
vat. Cap. X Aphor. 5. n. 10. dato illis Antesignano HENNIN-  
GO RENNEMANNO Antecessore quondam Erfordiensis,  
integro de jure Retorsionis Commentario: quibus addi  
possunt, quos allegant BRUNNEMANNUS ad L. Quæ o-  
mnia. XXV. Dig. de Procurat. num. 5. WISSENBACH  
Part. II. Disput. ad Pandect. 14. Th. 6. & ipsi illi, quos dixi  
WISSENBACH & BRUNNEMANNUS: contra  
quos omnes causam commune tueri hîc placet. Nec  
operosum id erit. Accipimus enim, quod ipsi dant,  
praxin & judiciorum usum pro nobis facere; id quod in  
his quidem regionibus expressa præterea Sanctio Decisio-  
nis Elector. LXXXV. probat. Namque hinc statim infe-  
rimus, praxi illi standum, usumque judiciorum hætenus  
pro justo habendum esse, donec contrarium probetur.  
Pessimè cum Jurisprudentiâ nostrâ ageretur, si omnia ejus  
scita ex eo convellere liceret, quasi justitia eorum, an-  
tequam facta applicentur, probanda prius foret. Et quis  
quæso Jctus evaderet hodie, cum vix hominis vita omni  
jure cognoscendo amplius sufficiat; si præterea omnia in-



dubium vocare, nec prius doctrinam suam ad usum trans-  
ferre haberet, quam singulorum justitiam, quæq; pro  
aut contra illam dici possint, satis se ponderasse ipse secum  
persvasus sit? Non placet Pyrrhonismus iste in materiâ ci-  
vili: nec inquietandæ conscientiæ sunt circa actiones ex-  
ternas, quibus aliàs propter generis nostri, ut nunc post la-  
psum est, conditionem semper labis aliquid adhærescere,  
satis constat. Patet hinc, oppido falli illos, si qui sunt ex  
adversariis, qui victoriam se ex eo reportaturos credunt,  
quod ad argumenta quædam, quibus justitia Retorsionis  
probari solet, responderint: cum nostrâ sententiâ justitiam  
illius probare opus haud sit; sed nisi adversarii injustam  
esse ostenderint, abibimus hâc lite absoluti, non secus ac  
possessor rei, cujus dominium ad se pertinere Actor pro-  
bare haud potest. Quare videamus saltem de argumen-  
tis illis, quibus injustitiæ Retorsionem nostram convince-  
re satagunt adversarii: quæ quidem adeo cumulavit REN-  
NEMANNUS integrâ Parte II. dicti Commentar. de Jure  
Retorsionis, ut omnia & singula multæ vix paginæ hîc cape-  
rent: sed ex quibus si illa, quæ ab abusu rei, ab eo, quod  
ex accidenti venit, ab auctoritate & exemplis aliorum pe-  
tita sunt, refeceris; in quibus robur nullum inest; duo in  
universum supersunt, quæ momentum habent & hîc legi  
merentur; alterum ex morali doctrinâ petitur, alterum  
ex Scripturâ divinâ. Ex moralibus nobis objiciunt, quod  
convicium alicui dicere res per se mala sit, adeoq; nul-  
la recriminatio bona. Possemus hic ex vulgatis dicere,  
animum esse, ex quo delicta metienda sint: eum vero, qui  
injuriâ ab alio petitus retorquet, (h. e. ut supra explicavi-  
mus, illi, qui crimen sibi objicit, vicissim mendacii cri-  
men impingit, eo fine, ut aut ad judicium provocet ad-  
versarius, crimenq; objectum probet, aut si id non faciat,  
ipse

ipse honori satisfecisse, famamq; suam sufficienter defendisse videatur,) animum conviciandi non habere; sed defendere saltē famam suam, adversariumq; ad iudicium compellere propositū ipse esse. Verum nolumus hāc responsione uti, danusq; ultro, retorquentem crimen mendacii adversario impingere velle: nondum tamen sic res peracta, nobisq; omnis adversus telum illud defensio prærepta est. Nam quod illi sibi sumunt, convicium alicui dicere ( utimur hāc phrasi pro eo, quod crimen impingere est,) rem per se malam esse, ipsis concedere non possumus. Objurgant criminaq; impingunt haud raro subditis magistratus, liberis parentes, præceptores discipulis, dum ad meliorem frugem eos reducere student; neque tamen quisquam eos propterea pravæ actionis insimulat. Habent enim se indifferenter & materialis, quod vocant, instar verba, quæ crimen impingunt; quibus deinde forma bonitatis aut pravitatis moralis ab intentione agentis & aliis circumstantiis inducenda est. Absolvunt autem à pravitate actum retorsionis & veritas dicti, ( namque purum ab objecto crimine retorquentem esse, adeoq; injuriantem omnino mentiri hīc supponimus: ) & retorquentis intentio; quæ primaria est, ut speciem mali, quam silentio præbiturus esset, nec non molestias actionis instituendæ evitet. Nihil itaque nostræ retorsioni obest, quod ex moralibus petitum fuit argumentum. Sed plura ex sacris contra nos adducuntur, puta, quod Christianis patientia, cum quâ pugnet retorsio, adeo sit commendata, & contra ea mali retributio, & privata vindicta, ad quam Retorsio spectet, prohibita; cum primis vero recriminatio expresse vetita, & in eam rem exemplum Christi, quod imitemur, propositum. Hīc primū nobis eam auctoritatem  
non

44  
114  
2718

non arrogamus, ut Scripturam ejusq; dicta interpretari  
velimus. Theologorum id officium est, quibus adeo ju-  
diciū de hisce permittimus: vellemusq;, ne adversarii  
argumentis istis ex alienā disciplinā petitis nos urgerent.  
Nunc cum ipsi non abstineant, accipere coguntur, quæ ad  
singula reponimus. Et patientiæ quidem Christianæ com-  
mendatio in dicto illo, *Nolite resistere malo, sed si quis per-  
cusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram:  
& ei qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tol-  
lere, dimitte & pallium, &c.* si eò valere debet, ut famam  
& existimationem per retorsionem defendere non liceat,  
cur non etiam eò, ut nec per actionem judicialem? Et cur  
non eodem argumento Christianis corporis & bonorum  
suorum defensione, cum primis quæ extra iudiciū fit, in-  
terdictum dicamus? quæ omnia tamen adversarii licito ju-  
re fieri concedunt. Privatam autem vindictam, quam  
non Sacra saltem pagina, sed humana etiam ratio impro-  
bat, si retorquens spectet, & ex dolore inimici voluptatem  
captet; à tramite recti ipsam aberrare facile largimur:  
cujus vero animum ita formavimus, ut defensionem fa-  
mæ suæ, & modum evitandi molestias actionis in iudicio  
obeundæ unice intendat. Nec multum diversa recrimi-  
nationis in Bibliis veritæ ratio est: in quam rem S. Petrus  
Christi exemplum, qui conviciis affectus non recrimina-  
batur ( *ἐν ἀντιλοιδόρῃ* ) nobis imitandum I. Cap. 2. vers. 23.  
proponit. Si in mutuâ delictorum exprobratione & ja-  
ctatione conviciorum ( quam vocabulum *ἀντιλοιδόρῃ* na-  
tivâ suâ significatione infert, nec quicquam amplius, ) ac-  
quiescit retorquentis animus, si ulterius ad famæ suæ de-  
fensionem molestiarumq; judicialium evitacionem non  
tendit, utique recriminatio ejus in laude ponenda non est.

Quan-



Quamquam præterea, quod Christi exemplum attinet, illud regulis nostris nequaquam subjiciamus. Perfectius enim est, quam ut à nobis exactè exprimi possit, cum primis qui seculo hoc utimur, & famam nostram civilibus modis defendere causas pene multas habemus. Hæc illis dicta sunt, qui nostræ professionis cum sint, ex alienâ argumenta contra nos petere non verentur: ut intelligant, nihil abs se allatum esse, quod nos, ut Retorsionem in foro civili damnemus, movere possit. Retorsionem autem dicimus, prout eam supra formavimus, quæ is, cui crimen obicitur, vicissim mendacii crimen injurianti impingit eo fine, ut aut ad judicium provocet, qui crimen objecit, aut si id non faciat, honorem suum conservasse, famamque sufficienter defendisse videatur impetitus. Cui formæ si mores forte alicubi aut leges etiam addiderint augmentum, non jus inde nasci, sed impunitatem saltem tribui lubenter concedimus. Verum de Retorsionis justitiâ pluribus differet, eamque, opinor, in dubium vocabit Candidatus noster, quem in præsentem producimus, DN. CAROLUS ANDREAS Stiegleder Sangerhusanus, non ex animi, ut credo, sententiâ, sed ut experiatur, quid pro contrariâ illâ Dd. opinione dici possit. Natus is est Sangerhusæ non in celebri Thuringiæ oppido Anno Seculi hujus Christiani LI. mense Aprili, Patre MELCHIORE Stiegleder / Potentissimo Saxon. Electori à Commissionibus Bellicis, Matre SERENA ELISABETHA, CALIXTI Kerns / Metallifodinarum Electoralium per Thuringiam Præfecti, Filiâ. Optimi Parentes domesticâ primùm curâ per privatos Præceptores formatum ætate augete Leucopetram miserunt: ubi in Gymnasio, quod Augustæum

B

stæum



statum vocant, per triennium ferme bonis literis operatus  
est, usus ad eam rem Magistris, quibus multum se debere  
faretur, DN. JOHANNE Schieferdecker tunc Rectore, nunc  
ejusdem loci Pastore, & vicinorum Superintendente,  
DN. CASPARE ESAIA Siegfried & DN. CHRISTIANO  
Weise laudati Lycæi illo Rectore, hoc Professore. Anno  
LXXII. ad nos venit & sexennium integrum fere hic substi-  
tit. Invenit autem hic morantem Fratrem natu majorem  
DN. MELCHIOREM Stieglern præclarum olim studio-  
sæ nostræ Juventutis membrum, nunc Ephoriæ Electora-  
lis Saxoniae in Comitatu Mansfeldensi Substitutum, à quo  
prima Juris Elementa, Institutiones nempe, fideliter hauserat.  
Simul quoque se applicuit ad Excellentissimum Virum Dn.  
CONRADUM SAMUELEM Schurzfleisch / celeberrimum  
Historiarum Professore p. t. Rectorem Academiae  
Magnificum, quem Historiam primum universalem, dein  
novissimam, postea Notitiam Imperii Romano-Germa-  
nici semel ac iterum explicantem sedulo audivit. Sed  
quoniam metam studiorum Jurisprudentiam sibi præfi-  
xerat, ideo omnibus & singulis Ejus in hac Academia Pro-  
fessoribus, quos honoris causâ nomino, operam navavit.  
Namque Ordinario nostro, DN. CASPARI ZIEGLERO  
& DN. JOACHIMO NERGERO *von en aylois*, illi Juris  
Canonici, huic vero Juris Civilis Institutiones, DN. D.  
WERNERO THEODORO MARTINI & DN. GODO-  
FREDO STRAUSSIO Schnobelianas Disputationes, ite-  
rum illi in Jus Feudale, huic in Jus civile, interpretantibus,  
denique mihi quoque textum Juris Feudalis prælegenti affuit.  
Sed & disputando se exercuit, & cathedram nostram pu-  
blicam Præsidibus, aliquoties Dn. D. HÖLTICH ante obitum  
Salisfen

Salisfensis Reipublicæ Syndico, bene merentissimo, quater DN. D. NERGERO, semel DN. D. MARTINI ac itidem semel DN. D. ZIEGLERO conscendit; cujus Dissertationem de Juribus Viarum publicarum, quæ nunc Tractatui ipsius de Juribus Majestatis inserta legitur, egregie tutatus est. Tandem ad Forum cum respiceret, Collegio Practico etiam, quod sæpius laudatus DN. D. MARTINI aperuerat, interfuit. Talis cum esset Islebiam à propinquis evocatus hactenus ibi substitit, ac Praxi Juridicæ operam dedit, itaq; in eâ profecit, ut non causas orare solum, sed & Jurisdictioni ipsi diversis in locis præesse cœperit. Paucis abhinc diebus ad nos venit Doctoralia insignia suscepturus, cujus rei LICENTIAM sibi concedi à Collegio nostro decenter petiit. Admissus ad consuetum Tentamen, ita expectationi omnium nostrum satisfecit, ut nullus dubitaret, dignum eum esse, cui ad ulteriora aditus pareretur. Cras, DEO volente, Horâ à meridie III. dâ difficilem L. Bonæ fidei XLVIII. Dig. de acquir. rer. domin. enarrabit: matutinâ autem IX. nâ de internâ, ut vocat, justitiâ Retorsionis Oratione differet. Cui solenni Panegyri ut RECTOR Magnificus, PATRES Academiae Conscripti, omnesq; Ejus CIVES aut HOSPITES frequenter interesse velint, nomine Collegii nostri eo, quo quemque par est, cultu, reverentiâ ac humanitate, sub gratâ talionis lege, rogo atq; obtestor. P. P. Domin. VIII. post Trinit.  
Ann. c. l. l. c. LXXXII.



Faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is illegible due to fading and bleed-through.




1777

MC




sanus affe  
consvetu  
nes nost  
junctum  
exercitio  
donec li  
nos, qvo  
fendat,  
possum  
vidimus  
specie m  
tiles sun  
nec late  
ganter I  
XVIII. I  
dicem p  
objecta  
infamav  
tis ling  
cta dilu  
catio ef  
tibus o  
nocenti  
tio, RE  
qui cri  
pingim  
menq;  
tis feciss  
deamus  
mation  
nem no



**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



odi opificum  
Constitutio-  
ficibusq; in-  
am est, statim  
ii sui interim,  
nores hodie-  
tus famam de-  
nprobare non  
mentum, ceu  
o omni etiam  
è præterea u-  
m protrahunt  
z expedire ele-  
vi nocentem.  
amque ad ju-  
henderit, quæ  
o, qui nocentē  
atem petulan-  
quidem obje-  
dicium provo-  
odie difficulta-  
i injuriam in-  
inventæ est ra-  
enti, qua illi,  
cii crimen im-  
provocet, cri-  
faciat, nos sa-  
defendisse vi-  
s hujus existi-  
ialis, per actio-  
nim per retor-  
fro-

